

gum penas excipiat, aut innoxius iudicio omnium comprobatus adpareat. (*) (**)

XII. Hæc Episcoporum potestas in laicorum dijudicandis caussis obtinuisse adhuc sæculis XI. et XII. colligimus ex præf. Syn. Legion. *Can. VI.* et Palent. *Cap. XI.* At sæculo XIII. mutata est Ecclesiæ facies; Reges enim licet Comitia ex utriusque Ordinis hominibus congesta habere consueverint, Ecclesia tamen suos sola Conventus celebrare cœpit, uti Synodum Penna-fidelensem an. 1302. Vallis-oletanam an. 1322. &c. Tum Collectio Decretalium Gregorii IX. ad Civilis Juris exemplum adornata, Partitarum Codex ad præscriptum ejusdem Collectionis digestus, frequens Legatorum cum amplissimis facultatibus adventus, hæc in caussa fuere, quod Ecclesiæ Forum à civili penitus discernetur, ita ut Guillelmus Episcopus Sabinensis, et Apostolicæ Sedis Legatus in præfat. Synod. Vallis-olet. *Cap. III.* adserere non dubitaverit *Ecclesiastica Jurisdictio, a seculari distincta dignoscitur.* Igitur inductis sæculo XIII. Gregorii IX. et Partitarum Codicibus Episcoporum in caussis sæcularibus potestas, abolita est, ita ut Alphonsus XI. laicis inhibuerit, ut in caussis profanis Ecclesiasticis se sisterent Judicibus: *Leg. X. Tit. I. Lib. IV. Novæ Recop.* Et ut nullus ipsis remaneret locus se profanis laicorum litibus immiscendi, juramenta in contractibus mere temporalibus interponi vetuit: *Leg. XI. ejusd.* Atque ideò fortassis constitutum est, quoniam Episcoporum Tribunalia, relicta primigenia, ac simplici judicandi methodo, novas quoque ac prolixas, ut ita dicamus, sollemnitates amplexa sunt. (*)

XIII. Quod verò ad caussas capitales, seu criminales attinet, tanquam Episcopi munus habebatur deprecatoris vicem apud civilem Magistratum suscipere pro iis, qui capite erant damnati, et illis veniam impetrare. Hoc munere non semel Ambrosius, et Augustinus functi sunt. Paullinus in *Vita Ambros.* Augustinus *Epist. 159. Syn. Sardicensis Can. VII.* Cave tamen putes Episcopos ea mente facinorosorum hominum patrocinium suscepisse, ut publicæ Justitiæ viam obstruerent; at verò duabus potissimum de caussis. 1. Ut delerent notam illam nimie crudelitatis, quam christianis persæpe gentiles inurere studuerant, omnibus significantes Ecclesiam, utpote piam parentem à sanguine, et nece licet improborum abhorrere. 2. Ut miseri, et male conciliati illi, qui capite plectendi erant, mortem vitantes suum ævum producerent, et laboriosis pœnitentiæ operibus sua crimina possent expiare. (**)

In hisce etiam criminalibus caussis Episcopi Hispaniæ vetabantur esse iudices: Syn. Tarracon. *Can. IV.* Emerit. *Can. XV.* et Tolet. *XI. Can. VI.* præsertim quando crimen capitis sententia dignum censeretur: Syn. Tolet. *III. Can. XVII.* In eo tantum casu poterant, quum *jurejurando supplicii indulgentia promittatur, non ubi discriminis sententia præparetur,* uti decrevit Syn. Tolet. *IV. præf. Can. XXXI.* Mansuetudo quippe à Christo Sacerdotibus commendata, adeo alte Patrum nostrorum mentibus insederat, ut eos ab effusione sanguinis abstereret omninò; unde Patres Syn. Tolet. *IV.* omnes num. 69. Sisenandum exorarunt, ut in capitis sententia ferenda, servata in offensis mansuetudine, non severitas magis, quam indulgentia polleret. Videsis *Can. LXXXV. §. Te quoque. (*)*

XIV. Sed hic animalvertere abs re non erit ex Ambrosio de *Officiis Lib. III. cap. 9.* Episcopos in caussis civilibus, ac præsertim pecuniariis, nunquam apud Judices precatos accessisse; cujus rei satis idoneam profert rationem his verbis: *In caussis pecuniariis intervenire non est Sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter ledatur alius, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur.*

CAPUT SECUNDUM.

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA SPECIATIM, AC PRÆCIPUE DE CLERICORUM A JUDICIBUS SÆCULARIBUS IMMUNITATE.

I. Quùm tanta fuerit Episcoporum in caussis laicorum potestas, quanta seà fuisse credenda est, quam in Clericos exercebant? Ita sane. Id quod ut manifestius, et dilucidius adpareat quidquid hoc de capite primum Ecclesiastici Canonones, dein et Leges Imperatoriæ efferant distincte simul, et fideliter exhibebimus. Sit igitur primo.

ARTICULUS I.

DE CLERICORUM IN CAUSSIS ECCLESIASTICIS IMMUNITATE.

II. Ecclesiasticis sanctionibus vetitum Clericis vel antiquitus fuit ad laicorum tribunal consistere, ordinemque suum veluti contemptui aliorum exponere. Quamobrem 1. in Concilio Nicæno *Can. V.* sancitur quotannis in qualibet Provincia bis oportere Episcopos in Synodum congregari ad Clericorum caussas dijudicandas.

2. Concilium Cpolititanum I. *Can. VI.* *Sed si nonnulli... dicant se habere aliquas adversus Episcopum criminationes; eos jubet S. Synodus primum quidem apud Provinciæ Episcopos accusationem persequi... Quod si evenerit, ut provinciales Episcopi crimina, quæ Episcopo intenta sunt, corrigere non possint, tunc ipsos accedere ad majorem Synodum Dioceseos.*

3. Concilium Chalced. *Can. VIII.* pœnis etiam canonicis in Clericos illos animadvertendum decrevit, qui *lites suas, proprio Episcopo posthabito, ad secularia fora deferrent.* Constituta pœna non equidem levis fuit; erat enim dignitatis amissio, uti patet ex Concil. Carthag. *III. Can. IX.* quo statuitur, *ut quisquis Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, vel aliorum Clericorum, si relicto Ecclesiastico iudicio, publicis, sive sæcularibus judiciis contendit, etiamsi pro ipso lata fuerit sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali iudicio. In civili perdat, quod evicit, si locum obtinere maluerit.*

4. Idem jam sanxerat Concilium Carthag. I. *Can. XI.* *Clerici, qui superbi, vel contumeliosi sunt, coerceantur... Unde si quis tumidus, vel contumeliosus extiterit in majorem natu, vel aliquam caussam habuerit a tribus vicinis Episcopis, si Diaconus est, arguatur, Presbyter a sex, si Episcopus a duodecim.*

5. Idem quoque præscripsere Concilium Carthagin. *IV. Can. IX.* *Discordantes Clericos Episcopus, vel ratione, vel potestate ad concordiam trahat: inobedientes Synodus per audientiam damnet.*

6. Innocentius I. *Epist. ad Victricium Rothomag. Cap. 3.* *Si quæ autem caussa, vel contentiones inter Clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, ut secundum Synodum Nicænam congregatis ejusdem Provinciæ Episcopis jurgium terminetur.*

7. Concilium Tolet. *III. Can. XIII.* vetantur *Clerici conclericos suos suo neglecto Pontifice ad judicia publica pertrahere:* dein subjungitur: *Si quis hoc facere præsumserit, et caussam perdat et a communionem efficiatur extraneus.*

8. Concilium Parisiense an. 615. *Nullus Judicium neque presbyterum, neque diaconum, neque clericum ullum, aut juniores Ecclesiæ, sine licentiâ alias scien-*

tia Pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousque reatum suum agnoscat, al. corrigat, et emendet. Eadem exhibent, quæ postea deinceps habita sunt Concilia.

III. Hanc Episcoporum in cognoscendis Clericorum causis potestatem Imperatores adeo non imminuerunt, ut potius legibus perlatis, et exemplis confirmarint. Et re quidem vera I. Constantinus M. in Synodo Nicæna quum ab Episcopis multarum accusationum libellos sibi delatos accepisset, eos comburendos jussit, iniquis: *Vos Dii estis a vero Deo constituti: ite, et inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est, ut judicemus Deos*: Euseb. de Vita Constant. Lib. III. cap. 10. Rufinus Lib. I. cap. 2. Tum ipsemet Imperator causas Cæciliani Episcopi Carthag. et Athanasii Episcopi Alex. Episcoporum Synodia definiendas commisit. Optatus Milev. Collat. contra Donatistas, Socrates Lib. I. cap. 20.

2. Tum Constantius an. 354. lege lata prohibuit Episcopos in judiciis, scilicet sæcularibus, accusari: *Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explorari ut opportuna, adque commoda cunctorum questionibus audientia commodetur*. Profecto tum Patres Sardicensis Epist. apud Athanasium Apolog. II. pag. 582. tum S. Hilarius Pictaviensis supplicii libello apud Constantium hoc inter cetera postularunt, *ut Judices, quibus Provinciarum administrationes credite sunt, ad quos sola cura, et sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant, neque posthac præsumant, atque usurpent, et putent se causas cognoscere Clericorum*.

3. Eandem in causis duntaxat Ecclesiasticis immunitatem Clericis omnibus tributam voluere Valens, Gratianus, et Valentinianus: ad Valentinianum enim Juniorem de ipsius patre in hunc modum scripsit Ambrosius Ep. 32. *Augustæ memoriæ pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sancit: in causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis. Hæc enim verba Rescripti sunt: h. e. Sacerdotes voluit de Sacerdotibus judicare*. Et in Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. II. L. XXIII. eorundem Imperatorum sanctio occurrit, quæ sic se habet: *Qui mos est causarum civilium, iidem in negotiis Ecclesiasticis obtinendi sunt: ut si qua sunt ex quibusdam dissentionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, et a suæ Diæceseos Synodis audiantur*.

4. Tum Theodosius M. Cod. Theod. ibid. Tit. ult. de Episcop. jud. Leg. III. *Continua lege sancimus, nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum judicium pertrahatur: habent illi judices suos, nec quisquam his publicis communcum legibus, quantum ad causas tamen Ecclesiasticas, cuas decet Episcopali auctoritate decidi*.

5. Arcadius quoque, et Honorius ibid. Lib. XVI. Tit. XI. Leg. I. *Quoties de Religione agitur, Episcopos convenit judicare: ceteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, Legibus oportet audiri*.

6. Adhæc Valentinianus III. Novella Tit. XII. ad calcem Cod. Theodos. *Quum inter Clericos jurgium vertitur, et ipsis litigatoribus convenit habeat Episcopus licentiam judicandi præeunte tamen vinculo compromissi. Quod et de laicis, si consentiat, auctoritas nostra permittit. . . . Quoniam constat Episcopos, et Presbyteros forum legibus non habere; nec de aliis causis (secundum*

Arcadii, et Honorii divalia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit) præter religionem posse cognoscere.

7. Postremo Justinianus Leg. XXIX. §. 4. Cod. de Episc. Audient. *Has autem actiones, siquidem ad Ecclesiastica negotia pertinent, necesse fore jubemus, ut a solis religiosissimis Episcopis, aut Metropolitanis, aut a sacris Synodis, aut sanctissimis Patriarchis cognoscantur*. Et Novella LXXXIII. cap. 1. *Si vero Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione Ecclesiastica, et multa, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnino scire civiles judices, quum oporteat talia Ecclesiastice examinari*.

IV. Verum in hactenus productis Legibus Imperatoriis animadvertere est ejusmodi sanctiones causas, et quæstiones Ecclesiasticas respicere. Hoc indicant clausulæ in ipsis adpositæ: *In causa fidei, vel Ecclesiastici alicujus Ordinis. . . . ad religionis observantiam pertinentia. . . . quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet. . . . quoties de religione agitur. . . . nec de aliis causis præter religionem posse cognoscere. . . . siquidem ad Ecclesiastica negotia pertinent &c.* Canones verò Ecclesiastici prius adlati, quum de causis Clericorum generatim loquantur, potiori quodam jure de causis Ecclesiasticis intelligendi sunt.

V. Quantum verò ad causas merè civiles, et pecuniarias id juris obtinebat: nimirum vel inter Clericos intercedebant, et tunc Episcopi erat illa cognoscere, vel inter Clericum, et laicum, et tunc integrum erat laico sive actori, sive reo adversus Clericum in suo foro, vel actionem intendere, vel jus suum tueri; neque causam suam ad Ecclesiasticum judicem deferre cogebatur, nisi ex compromisso hujusmodi conditioni sese subjecisset.

VI. Primum quam evidenter ostendunt modo productæ Ecclesiasticæ sanctiones, quibus causæ, quæ inter Clericos excitentur, Episcopo, vel Synodo Provincie discutiendæ, ac terminandæ reservantur: ac præsertim I. Can. Chalced. IX. *Si quis Clericus habet cum Clerico litem, aut negotium, proprium Episcopum non relinquat, et ad secularia judicia non excurrat &c.*

2. Quibus addesis Canonem XI. Concilii Cabilonensis I. quo excommunicationis pœna infligitur in judices, qui publice contra veteranam consuetudinem per omnes parochias, vel monasteria, quæ mos est Episcopis circumire, ipsi illicita præsumptione videantur discurrere; etiam et Clericos, et Abates, ut eis proponant, invitos, atque districtos ante se faciant exhiberi: quod omnimodis nec religioni convenit, nec canonum permittit auctoritas.

Tum 3. et Canonem VIII. Syn. Matisconensis I. quo sancitur: *Ut nullus Clericus ad judicem sæcularem quemcunque alium fratrem de Clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere quocunque modo præsumat, sed omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyterorum, vel Archidiaconi præsentia finiatur*.

VII. Alterum plures quoque Conciliorum Canones efferunt; quorum tamen plerique petendam Episcopi veniam jubent. Ita I. Concilium Epaonense Can. XI. juxta Sirmondi editionem: *Clerici si pulsati fuerint, sequi ad sæculare judicium non morentur*.

2. Concilium Aurelianense III. Can. XXXI. *Clericus cujuslibet gradus sine Pontificis sui permissu, nullum ad sæculare judicium præsumat adtrahere. Neque laico, inconsulto Sacerdote, Clericum in sæculare judicium liceat exhibere*.

3. Conc. Aurelianense IV. Can. XIII. *Si quis judicium Clericos. . . . publi-*

cis actionibus adplicare præsumerit, si a Sacerdote admonitus emendare noluerit, cognoscat se pacem Ecclesiæ non habere. Et Can. XX. *Ut nullus sæcularium personarum prætermissio Pontifice, seu preposito Ecclesiæ, quemquam Clericorum pro sua auctoritate constringere, discutere audeat.* Idem præscribunt et aliæ, quæ sequutis temporibus, celebratæ sunt Synodi.

VIII. Consonant et Leges Imperatoriæ; ac præcipuè 1. Novella Tit. XII. Valentiniani ad calcem Cod. Theodos. *In Clerico petitore consequens erit, ut secundum leges pulsati forum sequatur, si adversarius suus ad Episcopi, vel Presbyteri audientiam non præstat adsensum.*

2. Marcianus Leg. XIII. Cod. de Episc. Audient. *Decernimus ut quicumque... sive de Ecclesiasticis, sive de propriis, et ad ipsum solum pertinentibus causis quemcumque earundem Ecclesiarum Clericum aliqua voluerit lite pulsare, apud memoratum beatissimum Archiepiscopum causam dicat... Volentibus tamen actoribus pateat Episcopale iudicium, ac nullus, qui hujusmodi intendit, in sacrosanctas Ecclesias, vel in prædictos Clericos actionem, ad religiosissimum Antistitem ducatur invitus.* Non absimili ratione idem Imp. loquitur in Leg. XXV. Cod. de Episc. et Cleric.

3. Jam verò Leo, et Anthemius Leg. XXXIII. Cod. de Episc. et Cleric. sanxerunt, ut Sacerdotes, et Clerici cujuscunque gradus sint, monachi quoque in causis civilibus... apud suos Judices ordinarios, idest Provinciarum Rectores, in quibus locis degunt, omnium contra se agentium excipiant actiones: ipsis duntaxat prærogativa indulta: *Ne ad extranea judicia pertrahantur.* Tum Basiliscus Tyrannus haud parum Clericorum immunitatem deminuit. Verùm Leonis Imp. Decretum ad eum tantummodo casum pertinere videtur, scilicet ubi Clericus adversus laicum ageret: Basilisci autem acta omninò resciderunt iidem Imperatores Leo, et Anthemius, ac veterem immunitatis prærogativam de novo in integrum Clericis restituerunt: Leg. XVI. Cod. de Sacros. Eccles. firmavitque Justinianus Leg. XXIX. Cod. de Episc. Audient. ubi statuit, ut nemo venerabilis Clericus ab aliquo sive Clerico, sive laico... accusetur... juxta sacra instituta apud Episcopum civitatis, in qua Clericus versatur: tum si is suspectus est, apud Metropolitanum Episcopum reum agat.

ARTICULUS II.

DE CAUSSIS CRIMINALIBUS CLERICORUM, EARUMQUE COGNITIONE.

IX. Imperatores duplex criminum genus distinctum voluere: scilicet leviora, et graviora. Leviora Episcoporum cognitioni fuisse à legibus reservata, tum 1. ex Ambrosio deducunt, qui supra producto loco: *Quin etiam, inquit, si alias quoque argueretur Episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere;* hoc ad leves duntaxat causas trahunt Gothofredus in Leg. XXII. Cod. Theodos. de Episc. et Cler. et Petrus de Marca Dissert. in Caput Clericus ad calcem Antonii Augustini.

Idem 2. ipsimet Auctores inferunt ex modo prolata Lege Valentiniani, et Gratiani *ibid. XXIII.* quæ in hunc modum habet: *Si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad Religionis observantiam pertinentia, locis suis, et a suæ Dioceseos Synodis audiantur.*

X. Quod verò in eadem Lege statim addatur: *Exceptis, quæ actio ab ordinariis, extraordinariisque iudicibus, aut illustribus potestatibus audienda cons-*

tituit: indè deducunt, Clericos in gravioribus quibusdam criminibus à Judicium sæcularium potestate non prorsus fuisse immunes: tum ex aliis quoque Legibus in eodem Codice exstantibus eruunt jure imperiali tunc temporis atrociora quædam, licet a Clericis perpetrata crimina, publicis Magistratibus punienda fuisse assignata. Ac I. saltem de criminibus gravioribus intelligendam contendunt superius adlatam Arcadii, et Honorii legem, ubi post verba: *Quoties de Religione agitur, Episcopos convenit judicare:* statim subnectitur: *ceteras vero causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, legibus oportet audiri.*

2. Leg. XX. Cod. Theod. *ibid.* vetantur Clerici, et Continentes viduarum, et pupillarum domus, ut inde opes, vel hæreditates aucupentur, adire, adjecta pœna: *Publicis exterminentur judiciis, si posthac eos ad fines earum, vel propinqui putaverint deferendos.*

3. Valentinianus Sen. Novella Tit. XII. *ibid.* post adsertam Clericis in negotiis Ecclesiasticis immunitatem subjicit: *In reliquis negotiis criminalibus, juxta legum ordinem, per se iudicium subire cogantur.*

4. Idem Imp. Novella V. de Sepulcr. Violat. *Quisquis, inquit, ex hoc numero Clericorum sepulcrorum violator exstiterit, illico Clerici nomen amittat, et sic stylo præscriptionis addictus, perpetua deportatione plectatur.*

5. Quum in conflictibus, qui in electione Damasi Papæ exarserunt, plurimè interiissent, multos tam Clericos, quam laicos a Maximino tunc Præfecto Urbis supplicio adfectos fuisse, testatur Socrates Lib. IV. cap. 9.

XI. At qui hic volunt in hujusmodi atrociorum criminum causis Clericos non fuisse ab civili potestate omninò exentos, fateantur tamen oportet ipsis, ac præcipuè Episcopis datum fuisse suas defensiones per Procuratores, non per seipsos proferre: Valentinianus Novella Tit. XII. *Si in hujusmodi ordinis homines Episcopos actionem pervasionis, et atrocium injuriarum dirigi necesse fuerit, per Procuratorem sollemniter ordinatum apud Judicem publicum inter leges, et jura configant... Quod iis religionis, et Sacerdotii veneratione permitimus: Nam notum est procuratorem, in criminalibus negotiis non posse concedi: Sed ut sit ulla discretio meritorum, Episcopis, et Presbyteris tantum id oportet impendi.*

XII. Porrò sub Justiniano Imperatore magis se explicuit Clericorum à Judiciis sæcularibus immunitas. Hic enim Imperator I. Novella LXXIX. cap. I. omnes prorsus Monachorum, Sanctimonialium, Virginum Deo sacratarum ac mulierum in Monasteriis consistentium causas Episcopis reservatas voluit.

Tum 2. Novella LXXXIII. edixit quidem, ut Clericorum crimina siquidem civilia à Præsibus Provinciarum cognoscerentur; at iudicio extraordinario, scilicet non transcendente lite duorum mensium spatium... si reum esse putaverit eum, qui convenitur, provinciæ præses, et pœna judicaverit dignum: prius hunc spoliari a Deo amabili Episcopo sacerdotali dignitate, et ita sub legum feri manu: unde potius in favorem Ecclesiæ, quam in præjudicium immunitatis Ecclesiasticæ Constitutionem illam emanasse tradit Gonzalesius ad Cap. 8. de Judiciis, num. 9.

3. Demum Novella CXXIII. cap. 8. et 21. Episcopos, ceterosque Clericos, etiam in causis criminalibus omninò à publicis judiciis immunes voluisse videtur. Cap. enim 8. sic decernit: *Sed neque pro qualibet pecuniaria causa, vel criminalia Episcopum ad iudicem civilem, aut militarem invitum producere, aut exhibere citra imperialem jussionem permittimus.* Tum Cap. 21. §. 1. *Si vero*

crimen fuerit, quod adversus quamlibet memoratarum reverendissimarum personarum, scilicet Clericorum, Monachorum, Diaconissarum, Monastiarum, Ascen-
triarum inferatur, si quidem apud Episcopum aliquis accusatur, et ipse ve-
ritatem invenire potuerit, ab honore, aut gradu hunc secundum Ecclesiasticas
regulas dejiciat, et tunc competens iudex hunc comprehendat, et secundum leges
litem examinans causæ finem imponat.

XIII. Idem quoque juris in Italia obtinuisse tum ex pluribus evincitur, tum
vel maximè ex eo quod sub Theodorico Italiae Rege omnes Romanorum leges,
atque adeo quæ ad Ecclesiarum, Clericumque immunitatem spectabant, nulla
in parte fuerint antiquatæ: uti fuse ostendit Muratorius *Annalium Ital. ad an.*
513. Quinimmo ex pluribus Theodorici apud Cassiodorum Epistolis liquet,
Regem ipsum omnes personales Clericorum causas non civiles modo, verum et
criminales Episcopis dijudicandas reliquisse.

XIV. Clericorum ab judiciis sæcularibus immunitas, quam Sacris Canonibus,
legibusque imperialibus constituere satagemus, naturali etiam æquitate conformis
est, unde apud Gentiles præcipuè verò apud Romanos, Pontifici inferiores pa-
rebant Sacerdotes: ad rem Conc. Aurelian. IV. Can. III. *Quod lex sæculi etiam
paganis Sacerdotibus, et ministris ante præstiterat, justum est, ut erga Chris-
tianos specialiter conservetur.* Et sane convenit, ut Clericorum negotia ea tran-
quillitate, ac sanctitate, qua par est, tractentur, neque Clerici a sacris amo-
veantur obsequiis, uti loquitur Justinianus indicata *Novella CXXXIII.*

XV. Hactenus designatas Clericorum à Judiciis sæcularibus exemptionum le-
ges, quæ posthabite sunt Synodi, et à Principibus evulgatæ sanctiones cum con-
firmarunt, tum etiam auxerunt. Ac primo Langobardi Principes fori immuni-
tatem etiam ad Ecclesiarum vassallos, colonos, agricolas extenderunt, jurisdic-
tione in hoc ipso Comitibus, aliisque publicis Magistratibus interdicta: Murato-
rius *Antiq. Ital. Dissert. LXXI.* Mox Carolus M. vetere pro Clericorum causis
Imperatorias sanctiones innovavit, ac restituit: *Capitular. Lib. VI. cap. 281.*
Atque adeo cuicui actori sive clerico, sive laico quibuscunque in causis Clericum
reum non nisi in Episcopali foro referendum sanxit: *ibid. Lib. VII. cap. 112.* ac
demum constituit Clerico non licere sine Episcopi sui permissu quemquam in
iudicio sæculari pulsare: *ibid. Lib. VI. cap. 155.*

XVI. Sub Carolo Calvo majora sumit incrementa Episcoporum jurisdic-
tione: ille enim Clericorum etiam publica, et gravissima delicta Episcopis reservata vo-
luit: *Tom. II. Capitular. Tit. 38.* id quod secutis temporibus nemine renuente,
aut discrepante in Ecclesia inolevisse constat ex Scriptoribus, qui per ea sæcula
floruerunt. Ac tandem Innocentius III. *Ep. ad Lotharium Archiepiscopum Pi-
sanum* docuit, Clericis non licere suo juri, videlicet fori immunitate renuntiare,
*quum non sit personale beneficium. . . . sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit
publice indultum:* Cap. 12. de Foro Comp.

XVII. Insignis est, ac multum Ecclesiasticæ consulens immunitati Friderici
Imper. Constitutio Auth. *Statuimus* Cod. de Episc. et Cleric. qua nimiorum
sanxit, *ut nullus Ecclesiasticam personam in criminalia questione, vel civili
trahere ad iudicium seculare præsumat contra constitutiones imperiales, et cano-
nicas sanctiones. Quod si actor fecerit a suo jure cadat, iudicatum non
teneat, et iudex ex tunc iudicandi potestate privetur.* Quæ Friderici Consti-
tutio adeo Constantiensi Concilio placuit, ut non solum eam commendarit, pro-
barit, confirmarit verum et exscriptam voluerit in ipsius Concilii Appendice,
quo latius promulgaretur.

XVIII. Mox Syn. Lateran. V. communionem arcendum ipso, ut ajunt, facto
illum esse constituit, qui Ecclesiasticæ jurisdictioni obrectare, aut illam exagi-
tare ausus fuerit: id quod plures antea per Gallias, Hispaniasque congregatæ
Synodi jam constituerant. Tridentina denique Synodus Sess. XXV. Ref. cap.
20 tum personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, et cano-
nicis sanctionibus constitutam adseverat: tum etiam præcipit, sacros canones,
Concilia generalia omnia, necnon alias Apostolicas sanctiones in favorem Ec-
clesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ, et contra ejus violatores
editas, quæ omnia præsentem etiam decreto innovat, exactè ab omnibus observari
debere: (***) tum denique Principes hortatur, ut ipsimet exemplo ad pietatem,
Religionem, Ecclesiarumque protectionem existant. . . . et severe in eos, qui
illarum libertatem, immunitatem, atque jurisdictionem impediunt, animadver-
tant. (*)

ARTICULUS III.

DE CLERICORUM AB JUDICIIS SÆCULARIBUS IMMUNITATE JURE NEAPOLITANO.

XIX. Tandem de Jure Neapolitano pauca expendere fas jusque erit. North-
manni Reges, qui primum omnium florentissimum hoc Regnum obtinere, ac
præ ceteris Robertus, et Rogerius, sese clientes R. Sedi, eidemque addictissimos
professi nihil contra canones, ac leges Ecclesiasticam immunitatem spectantes
innovarunt, uti patet ex Concilio Melphensi, cui Rogerius ipse interfuit. At
Willelmus in Pactis conventis cum Hadriano IV. ita cum eo convenit, ut ampla
remaneret Clericis facultas provocandi à iudicio Episcopi ad R. Pontificem in
caussis tantummodo Ecclesiasticis: ad in caussis civilibus profanis imminuta potius
videtur fuisse Ecclesiastica jurisdic-
tione. Ipsemet namque Willelmus Constitutio-
nem edidit, qua Clericos in caussis possessionum, quas non acceperint ab Ec-
clesia, in sæculari iudicio conveniendos constituit.

XX. Sub Suevis Fredericus Imp. uti modo vidimus, constitutiones omnes
Imperiales, et canonicas sanctiones pro clericali foro, et immunitatibus Ecclesias-
ticis hactenus lata sua nova imperiali constitutione roboratas omninò observari
jussit: at mox quum ipse, gravibus exortis controversiis cum R. Pontifice digla-
dari cœpisset, non pauca Ecclesiasticis juribus illata sunt detrimenta.

XXI. Suevis expulsis, eorumque progenie in Conrado extincta, Andegaven-
ses primum, mox Aragonenses hoc regna potiti sunt. Porrò sub his Regibus nil
prorsus immutatum est: ita ut si feudales causas excipias, causæ omnes Cleri-
corum sive civiles, sive criminales in Episcopalibus Curiis exagitabantur. Bulla
Investituræ Regni à Clemente IV. ad Carolum I. data apud Rainaldum *ad an-
num 1265.* et apud Chioccar. in *Arch. Reg. Jurisd. Tom. I. n. 24.* Concordata
Honorii Art. 3. et 13. Ferdinandus I. Aragon. *Prægm. II. de Cleric. et Diacon.
selvatic. &c.*

XXII. Verum novissimis sæculis quamfrequentes inter utrumque forum lites
exarserunt, hinc conquerentibus Episcopis, multum Ecclesiasticæ Jurisdictioni
esse detractum, illinc obstrepentibus Magistratibus, nimium Ecclesiasticos in tem-
poralia laicorum jura avidas manus protendisse. Confer hic plura Tridentina de
Ref. capita regia censura notata, de quibus supra *Lib. I. Tit. IV. de Conciliis.*
Porrò lites usque protractæ eo devenērunt, ut concordata fieri necesse foret: do-
nec tandem per novissima Pacta inter Benedictum XIV. et Carolum Borbonium

conventa, tum aliis in Capitibus, tum vel maximè in hoc tranquilliorè induisse faciem visum est Ecclesiasticum Tribunal.

ARTICULUS IV.

(**) DE CLERICORUM AB JUDICIIS SÆCULARIBUS IMMUNITATE JURE HISPANO. (*)

(**) XXIII. Ad Hispaniam quod spectat Episcopi, qui sub Evangelicis regulis, de profanis laicorum caussis uti arbitratore dijudicabant, potiori jure de Clericorum etiam dijudicasse credendum est. Et sanè nihil aliud ex Syn. Illiberit. *Can. LIII.* Tolet. I. *Can. XIX.* Tarracon. *Can. V.* Ilerd. *Can. XI.* colligitur, quam quod Ecclesiasticarum personarum dissidia, et delicta Episcoporum judicio examinata fuerint, et terminata. Neque in florentissimis Gotthorum sæculis VI. et VII. quibus nedum Catholici, sed et addictissimi quoque sese Ecclesiæ professi sunt Reges, imminuta est hujusmodi potestas. Coram ipsis Supremis Regni Moderatoribus constituti sunt tot illi Canones, quibus Clericorum caussæ ad Episcoporum Concilium adduci decernuntur: scilicet *Can. XIII.* Synod. Tolet. III. *Can. XXXIII.* alias *XXXII.* Tolet. IV. post *Cap. X.* Bracar. II. *Can. I.* Tolet. XVII. Quin et in Syn. Hispal. II. *Can. IX.* sancitur, ut Ecclesiæ Œconomus ex Ecclesiastico ordine eligatur, hac adducta ratione, ne laicus in Ecclesia judicaret. Quocirca Fulgentium Astigitanum inter, et Honorium Cordubensem suscitata lis in Synod. Hispal. II. discussa, et finita est *Can. II.* Potamius Bracar. ob lapsum carnis depositionis pœna dignus habitus est in Syn. Tolet. X. et in eadem Martinus Bracar. et Recimiri Dumiensis testamenta perscrutata sunt. Postremo exsecranda Sisberti Toletani conjuratio discussa est in Synod. Toletana XVI. et in eum perpetuæ depositionis pœna contorta est. Eadem quoque Clericorum immunitas viguisse videtur in Hispania restorationis epocha; uti evincitur ex Syn. Legion. an. 1012. *Can. VI.* et Compost. an. 1114. *Cap. XIII.* Nunquam tamen Clericis, si forte à Judicibus Ecclesiasticis prægravati forent, supremum Regis patrocinium denegabatur: Syn. Tolet. XIII. *Can. XII.* (*)

(**) XXIV. Nemo unus tamen sibi indè persuasum habeat, Clericos ita Episcopali judicio addictos esse, ut nunquam eis coram iudice laico stare licuisset. Porro quum tam multi sint Canones, qui eos Episcopo dijudicandos subijciant, nulla verò sanctio seculare iudicium ab ipsis omninò effugiendum esse constituit, si vel à laico ad Regium Tribunal compelleretur, vel ad se venire ab ipso iudice compulsus esset Clericus, præsertim ubi de causis merè profanis ageretur, in quibus Clerici ex Principum Gotthorum Legibus iudicandi erant: *Leg. II. Tit. I. Lib. II. For. Judic.* (*)

(**) XXV. Profecto nulla habemus vetusta hujus doctrinæ exempla; verùm lis inter Abbatem Monasterii Cardinensis, et quosdam Burgis convicinos populos, de aquarum usu pro molendinis suscitata à tribus sæcularibus iudicibus examinata est, et Gotthis legibus terminata an. 932. Castellæ Optimates sententiam juxta Gotthorum quoque leges tulerunt in caussa, quæ de jure Pascuorum inter Abbatem etiam Cardinensem, et Viros nobiles Vallis de Orbaneja exarserat an. 1073. Inter ejusdem etiam Monasterii Abbatem, et Oppida Penna-fidelem, et Castrillum lis mota est de bonis à Comite Castellæ Ecclesiæ donatis, quam Comes Gomezus ex Regio mandato terminavit an. 1175. Videsis Cl. Vir. D. Cantos Benitez in *Præf. ad Scrut. Monet. a §. XLVI.* (*)

(**) XXVI. Atque id eo nobis verosimilius adparet, quod Ferdinandus, et Constantia simul et Infans Leonor constituerunt, ut duo instituerentur Judices Ecclesiasticis caussis iudicandis: Sandoval in vita Alphonsi Imper. *Cap. LXV.* Verùm sæculo XIII. sicut penitus immutata est iudiciorum forma, ita Clerici à laico Tribunali segregati sunt, exceptis caussis feudalibus, aliisque de quibus *Tit. V. (*) (1)*

CAPUT TERTIUM.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

I. Iudicium vulgò definitur: *Legitima, sive ordinata rei inter Actorem, et Reum controversæ coram Iudice competente disceptatio.* Hæc profecto definitio characteres omnes cuilibet Iudicio tam Ecclesiastico, quam Laico omninò *essentiales* complectitur. At iudicium Ecclesiasticum si in pluribus, in hoc maximè à sæculari differt, quod hoc una pollet potestate, iudicandi scilicet tantum de externis: illud verò duplex internum, et externum est, uti supra innuimus.

II. Iudicii plures sunt divisiones: præcipuæ sunt, I. aliud *Ordinarium*, aliud *Extraordinarium.* Ordinarium dicitur illud, quod ab ordinario Iudice exercetur: nimirum, à Iudice, qui non speciali aliqua delegatione, sed jure suo, sive jure dignitatis, vel magistratus, quo fungitur, Ecclesiasticam administrat jurisdictionem. Extraordinarium verò est Iudicium illud, quod exercet Iudex sic dictus extraordinarius ex eo, quod nullam propriam habeat jurisdictionem, sed solum ad aliquod tempus, et ad certas quasdam caussas dijudicandas ab Ordinario delegatam; ex quo dicitur etiam *Delegatus.* (2)


III. Aliam præterea notionem in se continet Iudicium Ordinarium; nimirum quum ita dicitur ab ordine, quo in caussa discutienda, proceditur: qua notione accepta rursus distinguitur in *Ordinarium*, sive sollemne, et *Summarium*: atque illud est, in quo omnia, ac singula, quæ in iudiciis servanda leges præcipiunt, ex legum ipsarum præscripto distincte peraguntur. Hoc verò Summarium, ita dictum, quia summè, sive in summa omnes quasi iudicii partes comprehendit: *Leg. XV. §. 4. Dig. de Re Judic.* At verò jure Canonico Summarium Iudicium illud nuncupari solet, ubi sine ullo strepitu forensi de plano, h. e. sine iudicario ordine caussa agitur. Non omittuntur verò citatio et necessariæ probationes, quæ juris sunt naturalis: *Clem. II. de Verbor. Signif.*

IV. Iudicia sunt quoque vel *Publica*, vel *Privata*; adhæc alia *Criminalia*, alia *Civilia*: tum hæc vel sunt *Petitoria*, vel *Possessoria*: at de his, aliisque Iudiciorum generibus opportunius in Instit. Civilibus.

CAPUT QUARTUM.

DE VETERI, AC NOVA ECCLESIASTICORUM JUDICIORUM FORMA.

I. Quas hactenus explicavimus Iudiciorum species jus Ecclesiasticum antiquum non agnovit, sed eas jus novum Decretalium innoxit: jure enim veteri, qui-

(1) Immunitas ecclesiastica et ideo forus ecclesiasticorum, regulæque canonici ex jure constitutionale stant in Mexic. Repub., ut videri est apud vigentem generalem Constitutionem et Acta Reformationum in art. 154. 

(2) Iudicia civilia vel sæcularia per iudices delegatas prohibita sunt juxta Constitutionis art. 148. 